



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Dispvatio XII. De Effectibus Charitatis, præsertim Eleemosyna &
Correptione Fraterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

etiam nobis ipsis minus sanctis, quod absurdum est. Quin potius conjunctiores nobis in hac vita magis appetitive amare debemus etiam quoad hoc, ut ipsi non peccent vel damnentur, quam ne id contingat melioribus. Ordo enim dilectionis proximi in hac vita ex conjunctione seu proximitate, & quasi unitate cum nobis ipsis juxta tenorem praecepti divini sumitur; non ex gradu conjunctionis cum Deo nobis ignoto, nec ita nos concernente ex iustione Dei, qui mihi magis conjunctum vult à me ipso magis diligi, quem tamen ipse minus diligit. Hos equidem eatenus magis diligimus, quatenus iis consideratis secundum praesentem iustitiae statum, in quo sunt, debeamus velle majorem gloriam, quam minus bonis, approbando scilicet divinam iustitiam, & in eorum majori sanctitate complacendo; supposito scilicet quod circa hanc rem actus nostrae voluntatis versetur. Non ita tamen, quin donec vita praesens dura, nobis ipsis & propinquiorebus majorem sanctitatem & gloriam juxta ordinem charitatis desiderare & procurare possimus: quod tamen post hanc vitam cessat.

quens periculum, adeoque multiplex proximj necessitas: eò quod charitas consequenter dicitur hic potius curandos esse, qui in vita corporali sunt nobiscum conjunctiores ac magis veluti unum, eosque (si opus foret) esse praefereudos. His proinde cessantibus cessabit hujusmodi ordo praefereutiae: ac perspecto quorumlibet Sanctorum gradu sanctitatis & gloriae, fruentes Deo magis ex charitate Dei diligunt eidem conjunctiores, veluti majori amore dignos, ideoque à Deo magis dilectos, ac in sanctitate & gloria excellentiores, eosdemque magis aestimabunt & honorabunt, ac singuli suo beatitudinis promerita gradu erunt contentissimi, de aliorum majori gloria veluti de propria laetantes, eandemque illis, etiam majorem propriam, ex animo desiderantes. Et quamquam beatitudo non excludat alias honestas dilectionis causas, his tamen praevalent ratio diligendi ex majori cum Deo unice dilecto propinquitate desumpta. Ita communiter Doctores. Existimo tamen, quod cum gratia vel gloria non destruat naturam, remaneat ordo modernus charitatis quodammodo in radice seu actu primo, hac ratione, quod si necessitas per impossibile occurreret, qualis modò conjunctior nobis foret praefereendus: quemadmodum etiam D. Thomas q. 26. ar. 13. fatetur beatum eatenus magis diligere se ipsum; quam alium magis beatum, quatenus hunc potius vellet (si per impossibile opus foret) à divino amore & beatitudine excidere, quam se ipsum.

108.
An in patria manebit ordo charitatis.

In patria itaque, ubi nimirum non fiat locus crescendi in charitate & beatitudine, ubi cessant omnia pericula, indigentiae seu necessitates, ubi erit certa securitas, & secunda aeternitas, & aeterna citra variationem felicitas, cessabit quoque ratio praemissi ordinis charitatis: qui modò viget, dum est locus crescendi in bonis salutaribus, ac ab iisdem excidendi fre-

DISPUTATIO DUODECIMA.

De Effectibus Charitatis, Praesertim Eleemosyna & Correctione Fraternali.

QUESTIO I.

De Effectibus Charitatis, & Operibus Misericordiae in Comuni.

1.
Sex solent recenseri effectus charitatis.



Missio actu principali charitatis, qui est dilectio (de quo nil speciale super est dicendum) nec non omnis effectibus charitatis, quatenus ejus actus disponit ad iustitiam, & habitus est forma iustificans seu gratia (de quibus actum est in Tract. de Gratia) de sex effectibus charitatis agit D. Thomas q. 28. usque ad 34. qui sunt gaudium, pax, misericordia (quae sunt effectus interni) beneficentia, eleemosyna, & correctio seu correctio fraternali; quae sunt externi.

Herinc: Sum. Theol. Pars III.

Gaudium est passio consequens amorem: quia enim Deum ex charitate diligimus, de illius bonis sive internis sive externis gaudemus; uti ex amore hominis fit, quod dum bene ei est, gaudeamus. Unde etiam potuisset accenseri tristitia, quae ex amore Dei & odio mali divini nascitur, dum cernimus Deo ejusque honori malum inferri per peccata, juxta illud Psal. 118. *Vidi praevariantes & tabescebam.*

Pax, quae opponitur seditioni & bello, consistit in consensione appetitus inferioris cum superiore, & utriusque cum voluntate Dei; nec non consensione ordinata cum voluntate proximi. Estque haec absoluta pax, ex interiori (ad quam spectat prior pars) & exteriori (ad quam spectat pars posterior descriptionis) conflata. Unde vera non est pax impiis, dicit Dominus. *Isaie 48. Pax impiis defectu consensionis cum Deo & verofucata bono.*

bono. Quies enim & consensus in bono apparente fundata, apprensus tantum pax est.

3. Qui charitatis pacem generet.

Charitas porro pacem generat, quia facit, ut appetitus nostri, inferior scilicet & superior, consentiant, dum utrumque subjicit divinæ voluntati, cui per omnia placere querit; nec non ut consentiant cum voluntate proximi ordinata, amando illum, & bonam optando sicut sibi ipsi. Quia nihilominus perfectissima consensus virium, inferiorum cum superioribus, & utrumque cum Deo non est huius viæ, idcirco nec perfecta pax interna, qualis erit in patria. Quia etiam supposita ordinata voluntate hominis Deum diligenti, voluntas proximorum non semper est ordinata, fit non semper reperiri plenam cum voluntate proximi concordiam, sed interdum sanctam ex una parte discordiam seu bellum, dum male aliquid volentibus non consentimus. Ex defectu enim veræ charitatis in uno vel utroque nasci solet externa discordia ac bellum.

Non est perfecta in hac vita.

Cur non semper generet pacem cum proximo.

4. Misericordia unde sic dicta. Ejus descriptio ex Augustino.

Misericordia sic dicta, quasi faciens miserum cor propter alterius miseriam, describi solet ex Augustino 9. de Civit. c. 5. Aliena miseriam in nostro corde compassio, quæ usque, si possumus, subvenire compellimur. Quia nihilominus motus internus compassionis seu tristitiæ non convenit Deo vel beatis, in quibus tamen est misericordia, neque etiam exprimit principalem actum, generalius & magis proprie definitur: affectus efficax subveniendi miseriam proximi.

5. Alia generalior.

Respicit malum alienum.

Dicitur proximi: quia misericordia proprie loquendo respicit alterum, est quod ad rem spectat, etiam possumus compati & velle subvenire miseriam propriam. Unde dicitur Eccl. 30. Misere anima tua placens Deo. Ubi signanter D. Thomas 9. 30. art. 1. ad 2. ait considerari animam tamquam quid distinctum, cujus malis tollendis debeat suppositum ipsum humanum esse sollicitum.

6. Involuntarium.

Qui respiciat malum culpa, passionem Christi & martyrum.

Debetque juxta D. Thomam quæst. 30. art. 1. respicere malum involuntarium: eo quod miser aut compassione dignus dicens non sit, qui nullo modo involuntarie patitur. Est nihilominus culpa aliena objectum misericordiam, in quantum in ea reperitur multiplex ratio involuntarij; quamvis quatenus habet rationem mali voluntarie sit potius objectum justæ indignationis. Pro ut etiam passiones Christi & Martyrum nos movent ad compassionem, quatenus, est simpliciter voluntarie susceptæ sint, tamen adversantur appetitui naturali, nec nisi urgente precepto aliave causâ voluntarie suscipiuntur, sed refugerentur. Idemque est de projectione mercium in mare ex metu navis fragili.

Principalis causa misericordiam est amor: qui sicut bonum proximi querit, sic miseriam subvenire studet. In nobis autem dispositio quædam ad commiserendum est consideratio propriæ infirmitatis & miseriam. Unde variis defectibus & miseriam subiecti v. g. senes, debiles, & tribulati magis compatiuntur alienam miseriam, quam in se quasi experiuntur aut experti sunt. Quam quidem dispositionem ad miserendum Christus in se misericorditer suscepit assumendo nostras miseriam, discens ex iis, quæ passus est, uti obedientiam, sic & misericordiam: Debit enim, juxta Apostolum ad Hebr. 2. per omnia fratribus simulari, ut miseriam fieret.

7. Causa misericordiam, amor.

Qui concipit ratio propria miseriam.

Ex laudibus quoque misericordiam Matt. 5. & alibi decantatis, ipsoque lumine rationis patet ipsam esse actum virtutis; uti immiseriam, in Scriptura Jac. 2. & alibi improbat, est non modicum vitium.

8. Misericordia est actus virtutis.

Et quidem D. Thomas quæst. 30. art. 3. & alii (& probabile dici posse censet Wiggers ibid.) putant esse virtutem specialem. Sed sine solido fundamento: nam eadem virtus charitatis, sive Theologicæ, sive moralis erga proximum, quæ principaliter inclinatur ad volendum bonum, etiam inclinatur ad averfionem mali oppositi, ex eodem motivo seu ratione formali. Quemadmodum etiam eadem charitatis virtus inclinatur, eademque bonitas Dei movet ad eadem per dilectionem optanda bona, & averfenda mala opposita per odium peccati aut contritionem: ergo idem cum proportione dicendum est de virtute Misericordiam. Pro cuius rei clariori intellectu.

A charitate indistincta.

Probat hoc ipsum.

Adverte malum proximi considerari posse tripliciter. Primo, quatenus est disconveniens naturæ rationali; & sic voluntas illud tollendi spectat ad virtutem merè philosophicam, quæ queritur debita convenientia partium cum toto, & eorum quæ in natura sunt cum ipsa natura, nihil interim curando, an per hoc proximo bene sit, nec ne. Et de hoc non est in præfati sermo. Secundo, quatenus malum proximi repugnat honestati specialis virtutis, v. g. malum ebrietatis temperantiam, malum luxuriæ honestati castitatis, & sic de ceteris. Et hoc quoque modo constat non esse actum specialis virtutis, sed spectare ad varias virtutes, prout malum ipsum opponitur variis virtutibus. Tertio potest malum proximi considerari, quatenus est miseriam proximi, ex qua ei male est. Et hic modus ordinariè cadit sub considerationem Christianorum in affectu & operibus misericordiam exercendis; spectatque proximum quatenus sublevandum à miseriam. Dicimus itaque chari-

9. Amplius idem dicitur considerari tripliciter malum proximi.

charitatem ipsam, siue Theologicam, siue naturalem proximi, esse ipsam virtutem misericordiae, vocarique nomine misericordiae, quatenus respicit seu connotat misericordiam proximi, eiusve subleuationem. Et de hoc procedunt praelegata à nobis & probata.

Quibus accedit confirmatio ex auctoritate desumpta: nam Scriptura charitatem obligatoriam proximi inculcans eam regulariter exprimit quasi consistentem in affectu & operibus misericordiae; ut patet 1. Ioan. 3. & 4. Jac. 2. Ipseque Christus Luca 10. approbat iudicium legitimum respondens hanc ratione Samaritanum esse proximum incidenti in latrones, utpote qui fecit misericordiam in illum.

10. Confirmatur.

11. Occurritur objectioni ex Apostolo desumpta.

Nec obstat illud ad Coloss. 3. Induite viscera misericordiae, benignitatem &c; cui dein subditur: Super omnia autem haec, charitatem habete. Nam ibi recensentur non tam diversi habitus, quam actus seu opera & exercitia novi hominis, quae sunt affectus & opera misericordiae, benignitatis, humilitatis, modestiae, patientiae, remissionis iniuriarum. Super omnia verò perfecta charitatem commendat Apostolus, tanquam vinculum perfectionis, cum alia opera, etsi nonnulla charitatis, possint tamen esse sine charitate perfecta; fierique ex morali charitate erga proximum, vel imperfecta erga Deum.

12. Quid benevolentia.

Benevolentia (de qua inter effectus externos Charitatis primo loco agit D. Thomas quæst. 31.) est ipse actus externus interioris benevolentiae, quo nimirum quis proximo suo benefacit, siue propter Deum, & procedit ex benevolentia seu charitate Theologica, siue propter ipsum proximum ut ei bene fit, & procedit ex dilectione seu amicitia morali proximi. Unde constat non spectare ad distinctam aliquam à ceteris seu speciale virtutem. Al effectus quoque seu operibus misericordiae non distinguitur, si vocis rigorem & phrasim Apostoli ad Hebr. 13. ea comprehendens nomine benevolentiae (ut notat Estius ibidem) spectes (idemque est de opere gratitudinis alteri repensio) per huiusmodi namque quis alteri benefacit. Connotato tamen ab his distinguit illam D. Thomas sup. art. 2. quod benevolentia respiciat bonum amici, non considerando rationem debiti erga proximum, vel eius miseriam.

13. Quenam sit opera misericordiae corporalis.

Effectus porro seu opera externa misericordiae assignari solent in Catechismis, etiam in Romano seu Pij V. Septem corporalia & totidem spiritualia, ad quae cetera facile reducuntur. Priora continentur hoc versu:

Vsuo, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Coligo, Condo.

Hieronymus Sancti Theol. Pars III.

E quibus tria ordinariè vitæ conservandae necessaria sunt, scilicet Cibo, Poto, Tego, id est necessarium alimentum & tegumentum corporis. Rariùs extrema vitæ necessitas occurrit in visitatione infirmorum, redemptione captivorum, hospitio peregrinorum; etsi aliquando id fieri posset, v. g. si visitatione medici, seu alio obsequio, redemptione hominis de captivitate, vel hospitalitate, sit vita infirmi, captivi, vel peregrini servanda. Quae omnia tamen possunt comprehendendi sub eleemosyna; vel ad eam reduci; de qua sola deinceps in particulari agendum.

Sepulturam mortuorum constat esse minus necessariam; ideoque omittitur à Christo Mart. 25; vel quia apud Iudaeos non erat periculum defectus; quin potius excessus in pompa funeris seu sepulturae. Quem suo tempore vigentem (viget & hodie frequenter, ut magis interdum abundet superba vanitas, quam charitas) redarguit Chrysostomus Homilia 84. in Iohannem.

14. Sepultura officium cur à Christo omissum.

Excessum reprehendit Chrysostomus.

Alioquin quod corpus donari honestè sepulturæ sit opus pium, constans est apud omnes, & patet ex Tobia 12. ubi Tobias senior propter hoc laudatur. Et Matth. 26. laudatur Magdalena quod praevenit Christi corpus ungere in sepulturam.

Esse alioquin opus pium ostenditur.

Quod etiam specialiter sit opus misericordiae, similiter constat apud omnes, & probatur ex 2. Reg. 2. Benedicti (inquit David ad viros Jabes Galaad) vos à Domino; qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelivistis eum. Ratio est: quia honor corporis redundat in animam, censeturque morali aestimatione quaedam miseria & malum defuncti, si officium sepulturae corporis negligatur; adeoque illud curare est opus misericordiae. Unde extant plures Sanctorum apparitiones, & aliorum hominum ultimæ voluntates, qui sua corpora decenter sepeliri voluerunt. Deum quoque 3. Reg. 13. punivit, utique malum seu miseriam intendendo, Prophetam inobedientem per hoc, quod corpus eius non poneretur in sepulchro Patrum suorum. Speciales quoque malefactores solent in poenam (quæ non modica censetur) privari sepulturâ. Estque etiam in iure Canonico poena privationis Ecclesiasticae sepulturae quibusdam inflicta. In qua specialiter concurrunt suffragia, quibus juvantur animæ fidelium in locis sacris sepultorum.

15. Immo & opus misericordiae.

Quod verò Augustinus l. de Cura pro mortuis cap. 2. scribit, sepulturam non esse mortuorum subsidium, sed magis vivorum solatium; eatenus verum est, quatenus à sepultura non depedet praesens salus aut consolatio

16. Mens Augustini exponitur.

consolatio animarum (in quam potius cedunt suffragia; quæ fiunt in sepulturis vel extra illas pro animabus) & quatenus ex honesta sepultura accedere solet amicis quædam solatii complacentia. Non negat tamen, quin sepultura spectet ad bonum quoddam hominum, & quasi temporale adhuc bonum defunctorum.

17. *Quæ sint opera misericordie spiritualia.*

Opera misericordie spiritualia hoc versu comprehenduntur:

Consulo, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.

Ubi (ut notat D. Thomas qu. 32. a. 2.) sub *Consulo* comprehenditur consilium præbere, & docere; ut septenarius numerus habeatur. De quibus, exceptâ correptione fraternâ, non est specialis difficultas, quæ suis locis non tractetur, aut ex dicendis de correptione fraterna constare possit. Proinde de hac sola, quæ est quædam eleëmolya spiritualis, & primò de eleëmolya corporali, agendum restat.

QUÆSTIO II.

Quid Eleëmolya, cujus Utilitatis, Qui eam dare possunt, & Quibus?

18. *Quid eleëmolya.*

Eleëmolya tam in vulgari sermone, quam in sacris litteris, sumi solet pro objecto operis misericordie, seu pro ipsa re quæ datur indigenti, ut ejus miseria corporalis sublevetur. Hic autem accipitur pro datione talis rei, sive pro sublevatione talis miserie, sive opere alienam corporalem indigentiam sublevante. Estque aded actus externus imperatus ab interno misericordie, eique proprius. Quamvis etiam possit imperari à virtute penitentie, quatenus adhibetur ad satisfaciendum pro peccatis, aut aliquâ aliâ. Quod quidem opus Scriptura & Patres mirificè extollunt. *Tobia 4. Eleëmolya ab omni peccato, & à morte liberat. Eccli. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmolya respicit peccata.* Et alibi. Plura Scripturæ & Patrum testimonia seu encomia (quæ videri possunt apud *Valentia d. 3. quæst. 9. p. 4.*) cõacervare in re obvia videtur superfluum.

Est actus externus misericordie.

Cujus exortus in Scripturis & Patribus insignia Encomia.

19. *Non potest salutare habentem in peccatis seu sine penitentia.*

Non prodest tamen eleëmolya ad justitiam & salutem, quamdiu quis in peccatis affectu vagetur, ut fides docet, & inculcat *Augustinus Enchiridii c. 77.* Patetque ex Apostolo *1. ad Cor. 13.* *Esti distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Penitentia quoque, propositumque desistendi à peccatis semper fuit necessarium omnibus ad justitiam. Unde hæreticum est dicere (quod olim quoddam dixisse refert *Augustinus 21. de*

Civit. 22.) quòd eleëmolyarii, etsi in peccatis perseverent, non damnentur, aut certè post aliquod tempus à damnatione liberentur. Nam univèrsis non observantibus divina mandata, sed extra statum gratiæ (qui prærequirit desistentiam à peccatis & penitentiam) perseverantibus, juxta fidem restat certa damnatio, à qua non est locus liberationi.

Nec obstat, quòd eleëmolya quasi per se sufficienti videatur tribui emundatio à peccatis *Luca 11. Verumtamen quod superest, date eleëmolyam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Nam (ommissis varijs expositionibus) Christus Pharisæos, quos tamquam rapinâ & iniquitate plenos redarguerat, ad spem excitans, significat, superesse hoc remedium, seu summam rei consistere in hoc, quòd à rapinis desistentes, & rapta restituentes (quod utique dationi eleëmolya præsupponitur, & in exemplo Zachæi publicani liquidò patet) dent eleëmolyam de eo quod superfluit, sicque eos mundos fore, ab iniquitate scilicet; non exclusâ tamen penitentia, quam fides & eleëmolya impetrat.

20. *Exponitur illud Luca 11. Date Eleëmolyam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Habet itaque eleëmolya ex motione Spiritus S. procedens juxta Scripturam vim extinguendi peccata, non quidem immediate instar Sacramenti penitentie (uti apud omnes Catholicos indubitatum est, cum non sit usum ex septem Sacramentis, minis Sacramentum mortuorum) sed mediatè, quatenus penitentiam impetrat: habet enim specialem quandam vim & energiam impetrandi auxilia specialia, seu abundantiora gratiæ, quibus peccator facile possit (nisi malitiâ speciali obice imponat) ad penitentiam & peccatorum remissionem pervenire: etsi non semper & infallibiliter concedatur gratia efficax, & sequatur effectus. Quod sufficit ad generales locutiones Scripturæ & Patrum: sæpe enim generaliter seu indefinitè aliquid attribuitur, quod ut plurimum sequitur, & ex se sequi natum est, nisi aliunde impediatur.

21. *Eleëmolya extinguit peccata mediante penitentia, quam impetrat spiritus.*

Congruentia verò est, quòd misericordia singulariter moveat ad misericordiam, eamque mereatur. Unde *Matth. 5.* dicitur: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Præterea Deus ipse quasi sibi factam reputat misericordiam exhibitam egeno, adeoque specialiter inclinatur ad recompensam spiritualem; juxta illud *Proverb. 19. Pœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Huc etiam faciunt preces & suspicia pauperum ad Deum benefacientibus: quorum clamorem Deus exaudit, uti è contra maledictiones pauperum contra immisericos. Unde *Eccli. 29.* dicitur: *Conclude eleëmolyam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit (partim quatenus ipsa vim, habet fortissimè provocandi divinam misericordiam, partim*

22. *Id est, ex oratione græntia specialis.*

Qu. II. Quid Eleemosyna, Qui eam dare possint, & Quibus? 225

tim quatenus ipsi pauperes solent pro suis benefactoribus *(omne)* ab omni malo. Inde autem nascitur in eleemosynarijs singularis in Deum fiducia, juxta illud *Tobia 4. Fiducia magna erit coram Domino Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.*

23. Eleemosynam qui generatim dare possint, qui non.

Eleemosynæ largitio; veluti vera donatio, quæ dominium transfertur, per se solum spectat ad dominum rei, ejusdemque simul liberum administratorem. Hic itaque potest pro libitu dare eleemosynam, uti facere alias donationes; salvo quod prospiciat suis, quibus æquius obligatur. Ceteri non possunt, nisi quatenus adest vel adeste præsumitur consensus quorum interest. Quibus verò competat dominium expeditum suorum bonorum, sive mobilium sive immobilium, ex *Tract. de Just. & Jure* petendum est. Vide ibi dicenda.

24. Specialiter quid possint uxores.

Hinc in primis uxor, si habeat aliquorum bonorum administrationem, potest de ijs dare eleemosynas: alias verò non nisi parcas & moderatas juxta consuetudinem sui similibus; in quod maritus bonorum administrator censetur & debet consentire, veluti usu receptum, & spectans ad decentem sustentationem uxoris, quæ utique non est mancipium, sed consors viri, immo pariter domina bonorum communium, etsi cum subordinatione rationabili in administratione. De cetero non potest donare, etiam in eleemosynam, nisi de consensu saltem tacito seu præsumpto mariti, qui (ubi sunt pacifica conjugia) uxori discretæ non ponit frequenter modum circa pecuniarum usum. In casu tamen amentia mariti potest tamquam absoluta administratrix juxta dictamen suæ prudentiæ de eleemosynarum largitione disponere. Idem est ob similem rationem in casu diuturnæ absentia; juxta *Lessium, Cominck & alios*. Quia tamen tunc administrat nomine & ex commissione mariti, contra ejus præscriptam voluntatem non possit uxor procedere hac in parte.

25. Quid filii familias.

Filii familias quoque de bonis paternis, aut peculio suo non libera administrationis (secus est de castrensi seu liberæ dispositionis) cujus saltem usus fructus est penes parentes per loquendo nil possunt disponere in eleemosynas, nisi ex consensu expresso aut tacito parentum, signanter patris. Censetur autem pater consentire, ut filius ex datis ad congruam sustentationem vel honestam recreationem aliquid subtrahat pauperibus donandum, more aliorum suæ conditionis. Idem est in necessitate præsertim extremâ proximi: tunc enim parens non potest rationabiliter esse invitus.

26. Quid reli. sup.

Similiter Religiosis privati nil est hac in parte licitum sine licentia Superiorum saltem præsumptâ. Quibus extra Monasterium existentibus censetur data licentia quoad ea quæ cõceduntur ad viaticum aut

Herincx Sam. Theol. Pars III.

honestam sustentationem; quorum datur libera administratio. Idem varii notant de pitantijis cibi & potus quæ singulis conceduntur, & sibi met subtrahi ab ipsis possunt, etiam ut dentur egenis. Quamvis id possit ob inconvenientias interdum oriundas prohiberi; præsertim ut non per se distriuant, sed à curam habentibus distribuendas relinquunt. Is quoque cui bonorum Monasterii administratio est concessa, potest de ijs, quæ sunt de eenti sustentationi communitatis, decentes eleemosynas facere; utpote pertinentes ad rectam administrationem, in quas proinde communitas consentire debet.

Quid gerentes curam communitatis.

Pari modo Magistratus seu gerentes curam communitatis possunt de bonis communibus facere eleemosynas, quæ rectæ gubernationi expedire visæ fuerint c. cum in cunctis, de his quo sunt à majori parte capituli.

27. Quid possint minores & pupilli, eorumque curatores.

Præterea minores & pupilli defectu liberæ administrationis non possunt quoque excessivas eleemosynas donare; sed possunt moderatas, quas solent alii ejusdem conditionis facere: nam quoad has censentur & debent consentire tutores seu curatores. Ipsi quoque tutores possunt moderatas ex bonis sibi commissis eleemosynas præstare, cum id pertineat ad rectam administrationem, cedatque in bonum pupilli, qui etiam rationabiliter nequit esse invitus.

Quid denique famuli.

Denique famuli, etsi ex bonis proprijs eleemosynam facere possint, non tamen ex bonis dominorum, nisi rationabiliter præsumantur ratum habituri. Quidnam verò specialiter possint seu teneantur præstare Ecclesiastici seu beneficiati in materia de Justicia explicabitur.

28. Eleemosyna danda omni proximo egeno.

Nunc explicandum restat, quibus danda sit eleemosyna. Constat autem in generali esse dandam proximo pauperi, sive sit sanctus, sive peccator, sive amicus, sive inimicus: omnes enim comprehenduntur generali præcepto dilectionis fraternæ. Subrahenda tamen est eleemosyna à a-busivis ad peccatum aut inimicitia fomentum; juxta illud *Augustini Epist. 48. sub init. Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitia seductus acquiescat.*

Ea non abusu suo ad peccatum.

29. Danda est quoque pauperibus voluntarijs.

Intelliguntur quoque non solum pauperes coacti, sed etiam voluntarii, qui propter Deum rebus sæculi abnegatis, solique Deo intendentes, verè egent, & eleemosynis digniores sunt, quæ etiam sunt dantibus utiliores, veluti impensæ servis Dei, ipsique fideliter Deum pro salute dantium deprecantibus. In quibus verificatur consilium Christi datum divitibus sæculi *Luce 16. Facite vobis amicos* (erogando scilicet eleemosynas justis & sanctis, qui apud Deum abundant meritis) *De Mam-*



mona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos, secum videlicet, in æterna tabernacula. Quibus accedit labor spiritualis in Concionibus, Catechismis, Confessionibus, ægrotorum visitationibus & similibus obsequiis spiritualibus, pro quibus sustentatio corporalis merito exigitur, danda præsertim per modum eleëmolyne.

30. *Quid de mendicis validis censendum.*
 Pauperes autem validi, qui possent se laborando sustentare, solumque mendicitatem exercent, ut desidiosè vivant, sunt indigni & privandi eleëmolyinis (quibus abutuntur ad suam ignaviam, aliæque vitia) meritoque exterminantur à republica, cui talis hominum fax est maximè nociva. Supposità tamen gravi vel extremà necessitate præsentì contingere potest obligatio eam tollendi.

31. *Quid de extraneis.*
 Extranei per se loquendo non sunt quoque à communi charitate in casu necessitatis excludendi. Quia nihilominus singulis communitatibus incumbit sua obligatio quoad indigenos & ex promiscua extraneorum plerumque vagabundorum & vitij abundantium mendicatione, nata sunt gravia sequi mala reipublicæ, varia circa hos & mendicantes validos providè sanxerunt Belgii Principes, quæ vide apud Zyppaum l. 11. Notit. Juris Belgici Tit. de Mendicantibus validis, & in Codice Belgico V. Aelmoessen &c. Nec est periculum lædendæ charitatis, si salubres institutiones & fundationes rectè observentur. Quo in genere mirè elucet Respublica Antuerpiensis. Non sunt tamen facilè, seu sine fundamento sufficienti judicandi pauperes nobis occurrentes, quasi sint de genere vagabundorum, & eleëmolyinis indignorum hominum; ne fiat eis injuria.

32. *An sicut paupertatis titulo eleëmolynam accipiens, eam faciat suam.*
 Dubitatur autem, an qui fito paupertatis titulo eleëmolynam accipiat, faciat eam suam. Affirmat Lessius Ed. 2. de Just. c. 18. num. 132. Coninck l. 27. dnb. 6. post Sorum l. 9. de Just. qu. 7. art. 3. sub finem. Et si debeat talis juxta omnes insinuare deceptionem, vel saltem pecuniam restituere, ratione scilicet fraudis commissæ, non autem juxta ipsos directè defectu dominii. Communis nihilominus sententia Scoti 4. d. 15. quæst. 2. art. 3. Angeli, Adriani, Navarri &c. tenet talem nequidem suam facere eleëmolynam: eò quod sit error in substantia actus, consistentis non in nuda Physica positione pecuniæ v.g. in manu alterius, sed in manu pauperis; aliàs enim non est vera eleëmolyna, utpote non consistens sine paupertate accipientis; quæ tantum intenditur, non autem alia aliqua donatio. Solum itaque est putata eleëmolyna, apud Deum ratione affectus æqualis valoris, quemadmodum si quis putans dare panem daret lapidem. Aliud est de simulatione sanctitatis, utpote non spectantis ad sub-

stantiam eleëmolyne, uti spectat paupertas. Aliud item est de contractu matrimonii cum sterili v.g. quæ putatur fecunda: fecunditas enim non pertinet ad substantiam contractus matrimonialis, sed mutua corpora habilia ad copulam per se generationi aptam. Debetque restituito fieri, sive Domino (quod securissimum est) quoniam mansit res ipsius, sive (ut putat Vasquez & alii) alijs pauperibus, eò quod voluntas Domini fuerit rem abdicare & pauperibus dare, in qua voluntate perseverare censetur.

33. *Quid in cumbi executoribus ultima voluntas in distribuendo facienda pauperum.*
 Petes, quibus pauperibus danda sit eleëmolyna, cujus distributio est commissa executoribus testamenti vel fundationis? Resp. servandum esse tenorem testamenti, seu ultimæ voluntatis. Unde si testamentum vel fundatio determinet pauperes certæ civitatis vel Parochiæ, vel pauperes certæ qualitatis, v. g. qui verecundi seu domestici dicuntur, vel accurrentes ad portam testatoris &c. non possunt assumi respectivè pauperes alterius civitatis vel Parochiæ, publicè mendicantes, existentes in hospitali &c. Si deterpiuntur sex pauperiores, debent iidem juxta dictamen syncerum factò examine seligi. Alioquin si nil sit determinatum, possunt seligi pauperes ad nutum, etiam sub his comprehendendo Monasteria, præsertim mendicantium religiosorum, immo secluso omni dolo ipsi conlanguinei executorum verè pauperes. Quare consequenter etiam ipse distributor, si verè pauper est, potest sibi, sicut alijs pauperibus, eleëmolynam applicare; non solum si paupertas sit testamento posterior, vel testatori fuerit ignota; sed etiam si præcesserit & fuerit nota. Alia pauperum personarum genera, quibus hujusmodi bona distribui possunt, citatis Molina, Reginaldo & alijs spectat Bassaus in Supplem. V. Eleëmolyna numero 10.

QUESTIO III.

An Quando, Seu Qualiter obget præceptum Eleëmolyne?

34. *Eleëmolynam esse in præcepto ostenditur.*
 ELEEMOSYNAM esse præceptam, in certo scilicet tempore vel circumstantijs, patet ex sententia Christi judicis, in ejus observantia deficientes dambantis, Matth. 25. Ne maledicti &c. Esurivi enim & non dedisti mihi manducare &c. Et I. Joan. 3. dicitur: Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserie viscerà sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? manere autem ipsa posset, si defectus non foret mortalis. Et Eccli. 29. Propter mandatum assume

Qu. II. An, Quando & Qualiter obliget Præceptum Eleemos. 227

assume pauperem &c. Idem tradunt & exaggerant Patres, & Theologi. Radix autem hujus obligationis (quæ est juris naturæ) est præceptum diligendi proximum, utique in necessitate constitutum, non linguâ seu verbis, sed opere & veritate.

35. In extrema necessitate esse obligationem justitiam, quo fundamentum nonnulli existimaverunt.

Nonnulli insuper (intet quod referuntur Cajetanus, Arragon & alii) putant in extrema necessitate obligationem dandi eleemosynam esse de rigore justitiæ: tum quia Patres passim comparant peccatum hoc furto, ac rapinæ, asseruntque sic bona hujusmodi aliena, scilicet ipsorum pauperum: prout inter alios pluribus exaggerat Basilius Homil. 6. ad Popul. in illud Luca 12. *Destruam hanc domum meam.* Similiter tradit Augustinus in illud Psalm. 147. *Confortavit seras portarum tuarum.* Tum quia in tali necessitate omnia sunt communia, adeo ut in divisione bonorum jure Gentium introductâ censetur casus iste exceptus, in quo proinde potest indigens ea surripere, & judex à detentore auferre, pauperique tribuere.

36. Esse obligationem solius charitatis, cum communi sententia probatur, & aliorum fundamentum everit.

Communis nihilominus sententia (quam tenet Joannes Medina, Navarrus, Lorca, Suarez, Vasquez, Bonacina, & alii passim obvii) asserit esse obligationem solius charitatis. Ratio est: quia etsi potuisset Deus concedere dominium rerum divitibus eâ conditione, ut desineret hoc ipso, quo quispiam ijs extremè indiget, ista tamen conditio non inest ex natura rei, sed oriretur ex positiva Dei voluntate, de qua non satis constat, sed solum de obligatione charitatis. Hanc quoque conditionem fuisse in prima rerum divisione appositam jure gentium, similiter non constat, sed solum, quod possidens obligatus sit ex charitate impendere indigenti necessaria. Aliunde autem constat divitem esse absolute Dominum rerum tamquam suarum; quod ipsum per alterius indigentiam privari, foret clare ostendendum. Confirmatur: quia par est obligatio succurrendi proximo extremè indigenti, & aliâ submedietate per actionem personalem, puta porrectionem manus: & tamen id omittens non peccat contra justitiam. Neque enim amittit dominium actionum suarum, sitque eatenus servus indigentis tamquam Domini. Accedit, quod negligens dare eleemosynam non cogatur ad restitutionem.

37. Locutiones quædam Patrum exponuntur.

Patres autem per quamdam exaggerationem locuti sunt, vocantes furtum, & rapinam, & alienum quod daretur, cum sit alteri debitum ex charitate; ut inculcent gravitatem peccati immisericordiæ. Unde etiam loquuntur indistinctè de gravi & extrema necessitate, cum tamen in sola extrema posset esse obligatio justitiæ. Quod verò in extrema necessitate dican-

tur omnia communia; est; quia fas est pauperi usus rerum proximi, eo, si obstat, irrationabiliter vitio. Propter quod judex posset nolentem cogere, uti & potest alias leges à justitia distinctas observandas curare.

in extrema necessitate sine omnia communia.

Obligatio porrò præcepti eleemosynæ locum habet in sola necessitate, ut apud omnes constat. Sed ut sciatur, qualiter & in qua necessitate vigeat, distinguenda est in primis triplex necessitas. Prima est extrema, quando imminet periculum mortaliter certum securitæ mortis ex indigentia, nisi tu succurras; esto nondum adsit mortis articulus, in quo mali sublatio esse solet ferè impossibilis. Cujus signum sufficiens habetur; non ex solo testimonio mendicitati assuetorum (quod suspectum plerumque est) sed Pastoris aut alterius Ade digni, asserentis sibi probè factò examine perspectam esse familiæ incediâ tabescentis necessitatem. Secunda est gravis, quando est probabilis conjectura de periculo vitæ, aut (quæ necessitas vocari solet quasi extrema) evidens periculum alterius notabilis incommodi, morte inferioris. Aliqui paulò aliter explicant. Tertia communis; quam communiter patiuntur pauperes; signanter mendici, qui non sine aliqua difficultate alimenta, & tegumenta, quibus indigent, acquirunt.

38. Necessitas corporalis alia extrema, alia gravis, alia communis.

Distinguenda insuper sunt bona, dum quaeritur ex quibus eleemosyna fit facienda. Alia enim sunt necessaria; alia superflua. Priora, alia sunt necessaria vitæ, quibus ipsi nimirum indigemus ad sustentationem nostram aut familiæ quoad alimenta & tegumenta: alia sunt necessaria personæ seu statui, sine quibus non possumus vivere congruenter statui nostro. Superflua verò, alia superfluum naturæ seu vitæ, alia insuper statui conferendo. Quæ non consistunt in indistinctibili, sed more in moralibus consueto habent quamdam latitudinem, sic ut quis pluribus additis non censetur habere statui superflua, etsi ijs detractis adhuc possit vivere quodammodo satis decenter secundum suum statum, dummodo non habeat divitias proborum judicio: pro suo statu excessivas. Nec solum ratio præsentis temporis, sed & futuri seu impendentis est spectanda, v. g. sustentatio, & locatio, dotatio prolium parvularum postquam adoleverint, providentia in futurum pro morbo vel senio, pro quo alioquin non sufficerent ordinarii proventus spectatâ ratione statûs. Immo juxta plures Doctores etiam spectari potest status altior (dummodo probabiliter sit imminens) ad quem ordinatè quis aspirat. Idem cum proportionem dicendum est de superfluis ad vitam.

39. Una alia sunt necessaria vitæ, alia statui.

Similiter alia sunt superflua vitæ, alia statui. Hæc qualiter quamdam latitudinem habeant.



40.
*Que cau-
tela adhi-
benda.*

Cavendum tamen, ne in hujusmodi avaritia vel ambitio depravet judicium; quod ne fiat, consultò auctulandum opinioni proborum indifferentium. Unde non est procedendum juxta abulum luxuriantium in divitijs & vanitatibus hujus corruptissimi sæculi, ubi quidquid libet, licet, & præ abundantia pecuniarum quisque excellere cupit; sed juxta morem eorum, qui in eodem statu honorabiles in ratione domestica & æconomica proborum judicio habentur, id est, qui nec excedunt, nec deficiunt in ijs, quæ ejusdem sortis homines judicio proborum facere solent. Aliàs sanè vix ulus reperiretur, qui habet conservationi status superflua, cuius splendorem & pompam plerique indifcretè ultra qualitatem dignitatis suæ adaugent, immo ultra facultatem virium suarum. His præmissis.

41.
*Obligat
præceptum
Eleemolynæ
in extrema
necessitate.
Immo & in
gravi.*

Constat in primis apud omnes obligare præceptum eleemolynæ in extrema necessitate: si enim ne quidem tunc obliget, numquam obligabit, cum numquam sit potior ratio obligandi. Idem cum communi sententia dicendum est de necessitate gravi: nam charitas dicit me debere quantum comòdè possum avertere grave malum aut damnum proximi. Deinde Scriptura inculcans præceptum eleemolynæ loquitur velut de re frequenter obvia, cujus neglectu plurimi in die judicii condemnationis sententiam referent: cum tamen extrema necessitas sit rarior. Apostolus quoque 1. Joan. 3. statuit solum hanc conditionem: *Qui videt fratrem suum necessitatem habere, utique etiam gravem, scilicet famis, indumenti aut alterius rei.*

42.
*Quando
alius non
creditur
succursurus.*

Et quidem hæc obligatio non currit, quando omnino creditur alium fore necessitati succursurum. Quòd si tamen alii non faciant, aut facturi non præsumantur, tu teneris: immo in defectum aliorum quilibet tenetur, & si necessitas non tollatur, quilibet graviter peccat, uti cuique mandatum est de tali proximo. Neque ab hoc subsidio exculantur, qui Monasterijs aut templis eleemolynas extra similes necessitates supererogatoriè & meritoriè distribuant; quin præceptum hoc charitatis (quod operibus charitatis voluntarijs in quacunque pias causas factis præferendum) dum alius non est, qui de facto succurrat, implere debeant, succurrendo pro suarum facultatum qualitate. Unde S. Elizabeth vidua dicere solebat prius esse providendum templis vivis (intelligebat egenos) quam mortuis.

43.
*Quis ordo
inter indi-
gentes in
necessitate
servandus.*

Inter ipsos quoque pauperes est servandus ordo charitatis, ut extremam necessitatem habens præferatur patienti gravem, & hic patienti communem: propinquior item præferatur remotiori, justus peccatori, fidelis infideli &c. conformiter ad dicta *disp. præced. quæst. 8.* Cessat præterea obligatio, quando succurrere non possum nisi

cum æquali meo incommodo, puta si sim in simili necessitate, aut alteri succurrendo in similem incidere.

Nec refert, quòd 3. Reg. 17. neque Elias petendo, neque mulier Sarephana dando necessaria propriæ vitæ & filii peccaverint: sperabat enim illa, & futurum noverat Propheta, quòd non auferret sibi aut filio mater, quod Eliæ dabat, sed magis conferret.

Itaque proximo constituto in extrema necessitate est obligatio succurrendi de naturæ superfluis & statui necessarijs, quantum, nisi tu succurras, præ inopia moreretur, ut censent Doctores passim. Tunc enim locum habet illud ex *Ambrosio* (in quo tamen non inveniri, sed apud *Anselmum*) advertitur in Notis ad canonem citadum) relatum c. *Pasce. d. 86. Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti.* Ratio est: quia necessitas extrema naturæ præferenda est juxta regulam charitatis conservationi necessariorum ad statum. Unde id ipsum vellemus nobis præstari in simili necessitate constitutis. Ipsi quoque necessitate hujusmodi constricti possunt & tenentur necessitatem suam sublevare, etiam clam capiendi sibi necessaria, si aliàs habere nequeant.

Advertit tamen *Malderus g. 32. a. 6. dub. 2. in sine pauperes* in locis publicis ad mendicandum expositos, signaque extremæ necessitatis exhibentes, rariùs illam pati, sic ut teneamur de necessarijs ad statum subvenire; sive quòd frequenter necessitates hujusmodi ostententur cum nimia exaggeratione, & interdum etiam simulentur; si ve quòd ab alijs citra hujusmodi incommodum juvandi esse præsumantur. Divina quoque pietas providit, ut rariùs occurrant eujusmodi extremæ necessitates, quibus non nisi cum detrimento necessarij status subveniri possit: paucis enim solet posse necessitati extremæ obviari.

Advertit etiam *Coninck disp. 27. dub. 8. n. 134.* & alii, exculari ab hæc obligatione illum, qui non potest succurrere, nisi cum plena eversione sui status: eò quòd charitas non obliget respectu proximi cum detrimento proprio respectivè gravi; quale supponitur in præsentibus, ob quod nec propriam vitam teneor conservare cum eversione status & subsequenti vitæ miseræ (propter quod nec opes omnes debet quis expendere in curanda propria infirmitate) aut etiam mendicitate mea vel meorum. Estque utilis reipublicæ, quòd Nobilis retineat statum, quam quòd privatus pauper vitam aliàs ad breve tempus prolongandam finiat. Quòd idem *Coninck n. 143.* extendit ad opulentas divitias v. g. aliquot aureorum millia danda pro lytro innocentis captivi, eò quòd hæc obligatio foret nociva reipublicæ. Aliàs sanè (quod communi

44.
*In extrema
necessitate
succurrendum pauperi de superfluis naturæ.*

45.
*Discutium
signum di-
gnoscendi
extremam
necessita-
tem.*

46.
*An sit obli-
gatio suc-
currere cum
totali ever-
sione statû.*

muni sensui repugnāt) pauperi infirmo, qui omnino crederetur huiusmodi impensis posse curari, esset obligatio taliter succurrendi. Vide *Coninck*.

47. Non est præterea obligatio succurrendi ei, qui in penam delicti patitur extremam necessitatem. Est enim æquè aut magis utile reipublicæ ut fontes puniantur, quos proinde non tenetur sive privatus sive iudex liberare, immo nec ipsi fontes ad hoc tenentur, qui possunt utique se accommodare sententiæ, ac justam penam expetere vel amplecti.

48. Quod si proximus sit in gravi necessitate, obligor ei succurrere de superfluis statui, juxta communem de sententiam: his enim sine gravi incommodo carere possum, adeoque charitas obligat, ut de ijs succurram constituto in gravi necessitate. Deinde præceptum Eleemosynæ obligat juxta præmissa etiam extra extremam necessitatem; non autem potius, quam dum gravis est necessitas, & adluit huiusmodi superflua.

Quin immo necessitas famis, nuditatis aut similis potest esse adeo gravis, etsi nondum extrema, ut juxta *VViggers* q. 32. a. 6. n. 38. post *Vitoria*, *Sotum*, *Canum*, *Bannez*, quos allegat, teneatur quis succurrere etiam de quodammodo necessarijs ad statum, quibus absque notabili diminutione potest carere, vel quæ potest aliunde brevi refarcire.

49. Et quidem juxta *Lorca*, *Suarez*, *Coninck*, & alios quos citat & sequitur *Castro Palao* d. 2. p. 2. n. 14. attendendus est in gravi necessitate proximi status præsens, an scilicet absque notabili detrimento possit conservari, si succurratur proximo: eò quod si attendatur status futurus altior, rari forent obligati ad eleemosynas. Quod maxime locum habet in bonis Ecclesiasticis, utique non concessis, ut per illa pares viam ad statum altiorem. Et quidem horrendum iudicium ijs Prælati Ecclesiasticis fiet, quibus non est cura de angustias pauperibus, sed de augendo familiarum suarum & status splendore, cum maxima inordinum vanitate & secularium scandalo.

50. Quamvis autem non obligetur quis in gravi necessitate pauperum distribuere omnino necessaria ad decentiam sui status seu eum evertere: id tamen facere est valde laudabile, dummodo fiat sine præjudicio aliorum v. g. uxoris aut prolium. Est enim opus istud maximæ charitatis: quod adeo laudatur in S. Martino dimidiam partem chlamydis sibi ad decentiam vestitus necessitatis eroganti nudo pauperi. Præclara ejusmodi facinora etiam prædicantur in S. Elizabeth, & alijs Sanctis eleemosynarijs. Notabile valde, quod in vita S. Paulini Nolæ Episcopi legitur, eum, cum ab eo posceret vidua, ut filium redimeret, consumptis rebus omnibus in officio pietatis,

seipsum pro illo in servitutum tradidisse.

Quod denique attinet ad communes necessitates, est quoque juxta *Adrianum*, *Cajetanum*, *Bannez*, *Valentia*, *Bellarminum*, *Lorca*, *VViggers* & plurimos alios obligatio in ijs dandi eleemosynas de absolute superfluis, non ita quidem ut singulis subvenire teneamur (in quo hæc obligatio differt ab obligatione dandi in extrema vel gravi necessitate) sed ut pro qualitate facultatum interdum aliquas eleemosynas faciamus, juxta monitum *Tobia* cap. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam . . . quomodo potueris, ut esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Obligationem hanc judicant Patres, valde exaggerantes tenacitatem habentium superflua (quorum eos vocant dispensatores) & tamen non succurrentium indigentibus; quorum esse huiusmodi superflua asserunt: & quidem si attentè legantur, apparent generaliter loqui de necessitatibus quam passim occurrentibus, quales sunt communes.

Ratio est: tum quia necessitates communes faciunt unam gravem reipublicæ, quam quilibet pro sua parte tenetur sublevare: tum quia si necessitatibus communibus non succurreretur, fierent ut plurimum graves vel extreme; quod quilibet debet avertere ex charitate, quando absque incommodo suo, quod merito censetur tale, id potest, prout supponitur in præsentem posse. Unde etsi possint aliqui pauperes sine peccato præteriri, quibus facile potest eleemosyna dari, tamen tempore & loco debent aliquibus dari, sic ut sine periculo peccati mortalis nequeat formari propositum numquam dandi eleemosynam, nisi in extrema aut gravi necessitate. Idemque est, si consulto quis abstineat citra expressum propositum stabiliter ab omnibus huiusmodi eleemosynis. Quare tales homines sunt pijs exosi, & vulgo tamquam crudeles, inhumani & immisericordes audiunt; malumque exemplum ac scandalum præbent.

Nec refert, quod 2^o *Cor.* 8. Apostolus solum det consilium Corinthijs ut abundantia eorum suppleat inopiam aliorum pauperum. Nam petebat collectam eleemosynariam pro fidelibus externis, existentibus scilicet Hierosolymis & in Judæa, quibus citra gravem saltem necessitatem non tenebantur Corinthii eleemosynas dare, satisfaciendo succurrendo pauperioribus concivibus de superfluis. Quamvis forsitan etiam ipsi non haberent passim superflua, sed solum haberent abundantiam majorem respectivè ad majorem inopiam aliorum. Præterea consilium interdum datur ab homine, qui vel non vult, vel non potest præcipere; etsi alioquin sit res à Deo præcepta; sicut ægro consultit medicina,

51. In necessitatibus communibus danda interdum eleemosyna de superfluis.

52. Probatur ratione.

53. Solvitur obiectio patitur ex 2^o *Cor.* 8.

dicina, quam ex lege naturæ tenetur sumere ad sui curationem. Etiam consilium erat, non præceptum præbendi tam longum subsidium, quale præstiterant Macedones, ibidem ab Apostolo laudari.

54.
An exi-
diat
modicum
dare singu-
lis & pluri-
bus, an to-
tum uni vel
paucis.

Observandum verò dum communis est necessitas, communiter modicum pluribus distribuendum. Qui modus plura secum adfert commoda in cõmunitate, ideoque præstat illud non aboleri, sed præferri sublevationi perfectæ necessitatis paucorum: quamvis optimum sit, si vires surpetant hoc facere, & istud non omittere. Ubi tamen extrema vel gravis necessitas plurium iuvanda esse, nec modicum singulorum necessitates sublevare posset, melius est (ut notat *Marchant Tom. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 2. quest. 1. append. 2. prop. 5.*) uni dare quod prodest, quam in plures dispertiri, quod non prodest. Id tamen prudentiæ largitoris relinquendum est.

55.
Non est obli-
gatio in-
quirendi neces-
sitates pau-
perum.

Observandum quoque non esse generaliter divitibus in præcepto (quamvis quoad honestas præsertim familias secreto interdum angustiatas, sit saluberrimum consilium, observatum à Sanctis & insignibus Eleëmofynarijs) inquirere necessitate pressos, quibus subvenire possint; qui potius debent per se vel per alios necessitates suas pandere, uti etiam communis praxis docet. Nunquam enim aliud præceptum reperitur, quin potius si sonum litteræ spectemus, est sermo de necessitatibus visui seu sensui obvijs: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere &c. 1. Joan. 3.* Et in descriptione iudicii *Matth. 25.* reprobis se exculantibus: *Quando te vidimus esurientem &c. iudex arguit, quòd satis viderint ipsum esurientem &c. in pauperibus: Quando non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Unde *Chrysostomus Homil. de divite Epulone ait: Ideo jacebat, Lazarus pauper, sub ianua, ne dices diceret: Non vidi, in angulo fuit, aspiciere non potui, nemo mihi nuntiabat &c.* Insinuans tacitè aliàs habiturum fuisse rationem se excusandi.

Limitatio
quædam.

Nihilominus juxta *Marchant Tom. 2. Tract. 2. Tit. 4. quest. 1. append. de Eleëmof. dub. 1.* qui habent in republica officium providendi pauperibus & miseris, tenentur juxta officii sui rationem de eorumdem paupertate & miseria inquirere. Et quidem specialiter id tradit *Bannez quest. 32. art. 6.* de Episcopis quoad pauperes sui Episcopatus, veluti qui sunt ad amplius quàm reliqui de populo obligati, tamquam patres spirituales suorum subditorum, quorum salus sæpe patitur propter egestatem: quod (ut ait) non minus facile potest fieri & cognosci per Parochos & alios pios ministros, quàm per fiscales cognoscantur delicta multis obnoxia, lucriumque apportantia. Certè ex Epistolis Pauli & alijs locis liquet, quàm

fuerint Apostoli (quorum Episcopi sunt successores) solliciti de fidelibus pauperioribus adjuvandis. Vereri potest *Bannez loco cit.*

Petes I. An sufficiat constituto in gravi aut extrema necessitate succurrere mutuum daplo, dilatà solutione vendendo &c? Afferit *Adrianus, Covarruvias, Navarrus, Toletus apud Castro Palao de Charitate disp. 2. p. 4.* Et accedunt *Vasquez O. pusc. de Eleëmofyna cap. 1. dub. 8. num. 54. Lessius lib. 2. de Just. cap. 16. dub. 1. num. 11.* consententes sufficere saltem, si quis succurrat, per mutuum datum sub conditione restituendi, si pauper ad lautiorum fortunam devenierit.

Verùm *Suarez, Coninck, VViggers, Bonacina, Castro Palao supra* & alii communius, meritò existimant requiri, ut eleëmofyna detur gratis re, & spe egeno: nomine enim eleëmofynæ (quam Scriptura aded præcipit & commendat) tantum intelligitur donatio gratuita. Unde præcipit Scriptura, non vendere, mutuare, sed dare eleëmofynam, retributionem à Domino expectando, pecuniamque pendendo. Præstatatur quidem mutuando aliqua gratia seu misericordia, sed non eleëmofyna propriè. Itaque debet subveniri necessitati modo debito juxta regulas charitatis, scilicet per eleëmofynam. Idem est sensus Patrum & piorum fidelium nomine eleëmofynæ præceptæ gratuitam donationem intelligentium. Unde Patres dicunt divites esse dispensatores bonorum superfluum, veluti quæ sint pauperum. Deinde per eleëmofynam debet sublevari inopia pauperis, quæ potius augetur per mutuum, aut venditionem creditò factam, dum re in necessitate consumptà nil restaret præter onus novum reddendi quod acceptum est.

Imponere itaque obligationem reddendi, qui non sine magna difficultate seu necessitate poterit restituere (si possit jam non est re & spe pauper) est contra charitatem, quæ obligat, ut (quod sine gravi incommodo fieri posse supponitur) pauperis extremam aut gravem necessitatem patientis miseria sine nova afflictione seu onere sublevetur. Estque prædicta obligatio inutilis, quam non tenetur subire alter propter opus equid ex charitate sibi debitum.

Obligatio autem conditionalis in casu fortuito lautioris fortunæ (de qua non est spes) nimium sapit avaritiam, tollitque liberalitatem, quam Patres & fideles in eleëmofynæ largitione recognoscunt. Immo sic præceptum gratuitæ eleëmofynæ nunquam obligaret (quod nec pium, nec præctice probabile, affirmat *Suarez d. 7. sect. 5. num. 2.*) cum onus istud conditionatum tollat rationem gratuitæ omnino donationis. Deinde frivola est & nulla obligatio, cui satisfaciendi nulla spes. *Ridicu-*

56.
An re & spe
pauperi suf-
ficiat suc-
currere mu-
tui, vendi-
tione dilatà
solutione
&c.

Varii asse-
runt.
Nonnulli
cum aliqua
limitatione.

57.
Commu-
nior senten-
tia negat.

Probat.

58.
Ne quidem
obligatio
conditionalis
in casu for-
tuito, la-
tisioris for-
tunæ est im-
ponenda.

Qu. III. An, Quando & Qualiter Obliget Præceptum Eleëm. 231.

Ridiculum quoque foret imponere restituendi obligationem pro rebus plerumque levibus, quæ communibus necessitatibus pauperum impenduntur, nec ab iis facile restitui possunt. In hunc delictique finem auctor naturæ dat bona temporalia, ut hoc modo indigentis pauperum succurratur.

Secus esset in casu, quo quis non est re & spe pauper, sed solum pro hoc loco aut tempore a quâ re indiget, habens alibi bona sufficientia aut certam eorum spem; prout quandoque existentes in alienis terris defectu cambiorum sunt in gravi necessitate. Hi enim non sunt simpliciter pauperes, aut absolute indigentes, sed pro determinato tempore & loco: quibus proinde satisficit mutuo, venditione cum dilata solutione, similive modo. Prout Jacob fratri esurienti cibum vendidit *Gen. 25.* & Joseph Egyptiis pro frumento tradito terras eorum accepit *Gen. 41. & 42.* & Tobias Gabelo sub chirographo mutuum dedit *Tob. 4.* qui nimirum aliunde bona habentes non erant absolute & simpliciter pauperes. Præterea si indigentia non exigit dominium, sed tantum usum temporalem rei, certum est sufficere concessionem, solum usum v.g. equi ad figam necessariam &c.

Si denique alienatione rei donans incideret in gravem necessitatem, sufficit patienti extremam necessitatem rem mutuo dare, etsi proximus per hoc in gravem quoque necessitatem incidere, quo hac in parte potioris est alter conditionis: secus si proximus reincideret in necessitatem extremam.

Pet. II. An constituto in extrema vel gravi necessitate liceat clam aut invito domino furrripere sibi necessaria? Resp. in extrema necessitate ex communi Doctorum sententia id licere, quando saltem aliter non possunt necessaria haberi: idque ob strictissimum jus conservandi vitam suam, ratione cujus dominus non præsumitur, neque potest esse rationabiliter invitus; ratione cujus similiter in necessitate extrema omnia debent esse communia. Intelligit semper in casu, quo alter non est, aut poperetur in pari necessitate.

Nihilominus si amicabile petitione prævia potest res necessaria obtineri, ipsa debet præmitti: non enim licet furrripere aliena, quando propria possunt haberi per donationem. Merito etiam dominus est rationabiliter invitus ob talem agendi modum. Neque illum modum necessitas extrema exigit pro cuius solum exigentia & terminis communia sunt temporalia bona. Quamvis si petitio omittatur, non sit juxta *Wiggers quest. 32. art. 6. nu. 51.* onus restituendi, ob substantiam rei nihilominus debitam donari. Quamvis etiam omisio petitionis veluti continens inordinationem in solo modo non appareat *Lessio l. 2.*

c. 12. dub. 12. num. 66. mortalis.

An autem in necessitate valde gravi v.g. famis, nuditatis &c. sit licitum aliena furrripere invito domino, controversum est. Nec improbabiler asserunt *Navarrus, Lessius, Coninck* & plurimi alii; eò quòd merito videatur calus iste ob exigentiam rationis & boni communis in divisione bonorum tacite exceptus seu non comprehensus: adeoque dives ipse supponatur obligatus esse tali casu elemosynam præstare, qui proinde si nolit, videri potest pauper sibi ipsi providere posse utpote divite irrationabiliter invito. Nec obstat *c. Siquis 3. de furtis* ubi imponitur poenitentia furanti in gravi necessitate. Nam non constat esse sermonem de gravi, & non potius de communi necessitate; aut si de gravi, cui non potuerit debitâ petitione prævia succurri. Quo dato, non esset alia solutio, quàm quòd poenitentia imponatur ob quamdam peccati similitudinem. Ut interim non omittam esse Canonem desumptum non ex Decreto alicujus Pontificis vel Concilii, sed ex Poenitentiali Theodori Archiepiscopi Cantuariensis.

Observat tamen *Wiggers num. 55.* non cenferi gravem vel extremam necessitatem, quàm diu mendicando potest accipi quantum sufficiat necessitati sublevandæ. Quod citatis *Titelmanno in Psal. 36. Navarros ad c. Quiescamus dist. 42. n. 35.* (quibus alii accedunt) extendit ad virum honestum, qui magnum sibi dedecus reputat mendicare, nec aliter quàm mendicandis potest necessitati suæ providere: eò quòd pudor iste non videatur in tali casu sanctus & Christianus, sed potius (ut videtur astrictum *Navarros*) vana superbia: cum vir bonus cogitare deberet, non absque divina providentia (cui se conformare merito oporteret) hujusmodi necessitatem obvenire, sive ad purgationem peccatorum, sive ad virtutis exercitium. Quamquam in delectu pauperum sublevandorum sit habenda ratio verecundia, quæ ingeniosos prodit natales, quando nobis innotescit, ut ex *Ambrosio l. 1. offic. c. 30.* notat *Wiggers supra.* Estque indubiè sanctum & saluberrimum consilium juxta præfatam doctrinam se in praxi gerere; & oppositum subjaceret periculis inconvenientiæ in republica. Quamvis *Bannez q. 32. art. 7.* & alii excusent talem necessaria furripientem; eò quòd videatur suæ necessitati posse providere, non incidendo in aliam gravem necessitatem, qualis censetur, si vir honestus seu nobilis cogatur mendicare. Aliis tamen non apparet tantum malum in hoc, quòd vir honestus secretò necessitates suas indicet & sublevari petat. Quod quidem hæc miseris temporibus à quàm plurimis fieri novimus.

61.
An idem sit licitum in valde gravi necessitate.

62.

An vir honestus reneatur mendicare, si alius non possit suffragari?

QUEST.

QUESTIO V.

Quid Correptio Fraterna, An, Quos & Circa Quod Obiectum Obliget?

63. Correptio fraterna cur sapè correptio vocetur.

CORREPTIO fraterna, inter eleemolynas spirituales famosior, à Scholasticis sæpe vocatur Correptio, ratione scilicet finis seu effectus Correptionis, qui est emendatio proximi, quam intendit, & quatum in se est, facit is, qui corripit. Debemus namque amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi, ut rectè dixit Augustinus serm. 16. de Verbis Domini. Itaque fraterna correptio est admonitio (perinde, an verbo, scripto, aut aliis signis fiat) proximi ordinata ad ejusdem emendationem & salutem. Distinguitur à juridica, quæ spectat justitiam vindicativam, & convenit habentibus jurisdictionem, cum fraterna respiciat bonum & salutem ipsius proximi, competatque etiam privatis, tum in pares, tum in minores, tum in superiores.

Quid ipsa sit.

Quis distinguitur à judiciali.

64. Cedit sub præceptum.

Probatur auctoritatibus.

Correptionem fraternam cadere sub præceptum affirmativum, certum est apud omnes. Et colligitur ex Math. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripere eum. Idem repetitur Luca 17. Et Levitici 19. dicitur: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, dissimulando exterius offensam & interitum, rancorem, sed publice seu aperte argue eum, perducendo ita illum ad delicti notitiam & emendam, ne habeas super illo peccatum, negligendo scilicet ejus peccatum, & non corripiendo. Similiter Eccli. 19. sæpe ingeminatur: Corripe amicum, Corripe proximum. Et c. Tam sacerdotes 24. q. 3. ex Anacleto Papa Epist. 3. refertur: Tam sacerdotes, quam reliqui fideles omnes suam curam habere debent de his, qui peccant, quatenus eorum redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur. Consonant quoque Patres. Sufficiat nobis illud Augustini serm. 16. de Verbis Domini c. 4. Tu vulnus fratris tui conseruisti? Tu eum vides perire, vel perisse, & negligis? Pejor es tacendo, quam ille convitiando.

65. Et ratione.

Fundatur hoc præceptum in illo charitatis: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Te ipsum autem amare debes, procurando, ne animam perdas peccato. Similiter si vi præcepti charitatis seu misericordiae tenemur, quantum commodè possumus, sublevare miseriam corporalem proximi, quàm magis spiritualem, quæ est peccatum, quod correptione supponitur velut unico medio averendum. Denique ex charitate Dei debemus impedire & avertere offensam, & injurias alias, si commodè possumus.

Nec constat, quòd peccatum sit miseria proximo voluntaria: nam ab hac ipsa voluntate debemus proximum, si commodè possumus, removere; præsertim cum pravæ cupiditatis compedibus anima adstricta non parvam patiatur difficultatem seu necessitatem, à qua desideramus absolvi, dum oramus: De necessitatibus meis erue me Domine. In necessitate corporali non tenemur succurrere de bonis nostris, si alter propriis non careat, cum tunc nostris non indigeat: at in necessitate spirituali proximus ut emendetur, indiget nostris monitis, quæ proinde adhibere tenemur; præsertim dum ex ignorantia aut passione proximus peccat. Accedit Charitas Dei, quæ urget, ut ejus honor conservando intendamus.

66. Occurritur obiecti.

Ex dictis satis patet actum correptionis fraternæ, veluti eleemolynam spiritualem, etsi possit imperari ex motivo diversarum virtutum, in quarum materia versatur peccatum corrigendum in proximo; propriè tamen & per se, ac velut ex natura sua esse actum virtutis charitatis seu misericordiae, quæ inclinat ad sublevandam proximi miseriam.

67. Correptio est actus charitatis.

Patet etiam correptionem fraternam obligare ex virtute charitatis: tum Dei, tum proximi, quæ urget, ut malum Dei & proximi impediamus & propulsemus, quantum commodè possumus. Estque communis Doctorum cum D. Thoma q. 33. art. 1. sententia: etsi pauci voluerint obligationem oriri ex virtute cui peccatum proximi advertatur, adeoque esse variam pro varietate peccatorum. Quod præterea refutatur: nam etsi virtus v.g. justitiæ me possit inclinare ad impediendum furtum proximi, virtus castitatis ad impediendam proximi fornicationem &c. non tamen ipsa me obligat, sed charitas. Ideoque communis iudicio non est injustus, aut incontinens, qui præ timore aut negligentia prædicta peccata in aliis impedire vel corripere omittit, sed justus & castus manere potest. Nihilominus cum præceptum hoc sit de actu externo, constat per hunc obligationem satisfieri, etsi procedat ex alio motivo quam misericordiae: sicut satisfit præcepto jejunii, ex quovis motivo quis jejundet. In superioribus autem ratione officii est specialis obligatio, quam alii ex justitia, alii ex fidelitate oriri volunt: debetque hæc circumstantia in confessione explicari. Quod etiam solet extendi ad parentes, maritum &c.

68. Et ex virtute charitatis obligat, sic ut enim deservit sit proprium peccatum tum charitatem.

Præceptum hoc obligat per se loquendo omnes ad corripendum aptos, ex quorum scilicet correptione potest sperari emendatio proximi correptione indigentis: uti omnes concernit præceptum dilectionis Dei & proximi, atque aded averendi mala utriusque. Nec est ratio aliquem excipiendi. Quare nec peccatores sunt excludendi, etsi alioquin minus apti ad corripendum, præsertim

69. Quis debet corripere proximum?

Qu. V. Quid Corrupt. Frat. Quos & circa quod Object. obliget. 233

An etiam peccatores.

ferunt si ipsi iisdem vel majoribus delictis sint obnoxii. Quod tamen non currit in peccatoribus occultis, aut non notis ipsi corripiendo, quorum peccata proinde non possunt corripendum retrahere ab emendatione. Peccatores quoque publici utiliter corripere possunt, si humiliter agnoscetes ac ostendentes suam indignitatem, moneant alios peccantes (qui sibi impudent, si se non emendent) frequens enim est, ut ex infirmitate peccent, qui ex misericordia cupiunt alios in similia aut dissimilia peccata non incidere. Quare non tenentur ordinariè saltem, speciali titulo, præcepti scilicet correctionis, desistere à peccatis, sed pœnitere, ad hoc, ut sint idonei alios corripere (etsi teneri possint titulo scandali) accedente eo, quod nullus teneatur divitias comparare, etsi antea prodigè consumptas, ad hoc ut eleemosynam indigentibus tribuere possit. Prælati tamen, quibus ex officio incumbit salutis subditorum invigilare, ac tunc tenentur vi officii comparare scientiam, ac bonitatem requisitam ad fructuosam sibi commissorum correctionem, ad quam vi muneris sui obligantur; aut certe officium deserere.

An hi idcirco specialiter obligentur à peccatis desistere.

saltem si sint Prælati.

70. Corripendi, quos quos corripitione indigent, etiam Superiores à subditis.

In numero autem corripendorum computandi sunt quotquot corripitione indigent, etiam superiores, qui consequenter opportune & prudenter corripendi sunt, etiam ab inferioribus, exemplo Pauli reprehendentis Petrum ad Gal. 2. cum invicem fratres sint naturâ & religione, seu fidei professione, adeoque fundamentum obligationis commune etiam hic urgeat æqualiter, immo magis, quatenus Superiori tamquam patri spiritali debetur major dilectio, & quatenus ejus peccatum magis est nocivum communitati, quatenus denique is magis versatur in periculo, dum sapius caret sincero correptore, non carens è contrâ assentatoribus. Unde zelo Dei & boni animarum ac publici postponi debet timor potestatis Prælatorum deinceps.

71. Quæ cautela ab inferioribus observanda.

Summa nihilominus cautela hic necessaria, ut nempe cum modestia & reverentia Superior monatur, juxta illud Apostoli ad Timoth. 5. Seniores ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. Item ut corripiens sit spectatæ virtutis ac prudentiæ; aliàs adhibeat tertiam personam, quæ creditur profectum factura: ut expectetur tempus opportunum: ut denique monitio fiat privatim, non publicè, nisi in casu hæresis, vel publici scandali. Unde Prælati non sunt in publicis concionibus taxandi coram plebecula: ex hoc enim nullus fructus sperari potest (qui ex cordata & charitativa monitione leceret faciendâ potest expectari) absentibus iis contra quos est sermo; sed magis timenda mentis amaritudo, plebis offensio, superiorum vilipenditio.

Hiericx Sum. Theol. Pars III.

fio. Propterea Clem. Religiosi, de Privilegiis inhibetur Religiosis, ne in suis concionibus detrahant Prælati Ecclesiarum. Et quidem frequens est, ut qui coram aliis in absentia maxime clamant, adulentur præsentibus, ut notat Wiggers quæst. 33. art. 4.

Dubitari autem possit, an quilibet proximus, etiam infidelis, sit corripendus; eod quod Christus Matth. 18. solius fratris, quem contra Ethnicum & Publicanum distinguit, mentionem faciat? Resp. indubitanter tenendum, quod sic: fundamentum enim obligationis est charitas, se consequenter extendens ad omnes homines peccantes & correctione indigentes; etsi in infidelibus sit rarior obligatio, uti rarior spes emendationis, neque ordinaria cum ipsis communicatio. Christus itaque non fert novum præceptum positivum, sed in speciali circa fratres seu fideles jus naturæ, quo ordine sit servandum, declarat.

72. Etiam infideles sunt per se loquendo corripendi vi præcepti.

Materia præcepti Correctionis fratrum quatenus graviter obligantis sunt peccata mortalia. Quæ nimirum sunt grave damnum spirituale, & miseria seu necessitas gravis proximi. Id ipsum colligitur ex Matth. 18. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, utique aliàs pereuntem, peccato scilicet mortali. Hinc observavit Augustinus Serm. 16. de verbis Domini. Peccatum ob quod frater corripendus est, esse tale, ut periturus sit, si istud non relinquat. Quare communi omnium sententiâ correptio de peccato veniali non graviter obligat, cum peccatum veniale in suo ordine censetur leve malum, ac levem adferre necessitatem.

73. Materia præcepti correctionis quæ graviter obligantis, sunt peccata mortalia.

Venialium correptio non graviter obligat.

Immo recepta satis Doctorum opinio (pro qua referuntur Alesis, Paladanus, Bonacina, Saa, Azorius, Bannez, & plerumque alii) simpliciter asserit, non cadere correctionem de venialibus sub præceptum, eod quod per illa non perdatur homo, facileque tollatur, & prædicta obligatio sit nimium gravis. Et quod ordinariè loquendo eleemosyna hæc, satis odiosa, non obligat in hac materia, ob defectum fructus, aut difficultatem pleorumque annexam, quæ non prævaleat spei fructus: per se tamen loquendo videtur esse obligatio venialis id agendi: v. g. dum proximus, præsertim familiaris, assuevit juramenti vanis, mendaciis, & similibus malis moribus, præsertim iis, qui nisi corrigantur jugiter in deterius vergunt. Quod facilius ulavenit inter personas Religiosas seu perfectioni vitæ studentes, in quibus raro, nisi in hujusmodi, offert se occasio invicem charitativè monendi. Et quidem (ut varii Doctores notarunt) ipsi Prælati possunt graviter esse obligati ad defectus veniales subditorum (quos ad perfectionem promovere debent

74. Immo juxta plurimos simpliciter non obligat.

Invenimus Auzoris.

debet) tollendos, quando & nimia eorumdem tolerantia graviter labefactaretur bonum commune disciplinæ religioſæ; inde enim grave damnum ipsi communitati obveniret. Quæ tamen gravitas obligationis, non tam ex præcepto correptionis, quæ bonum spirituale proximi attendit, quam ex obligatione officii superioris nascitur, vi cuius tenetur religiosam disciplinam conservare. Qui denique censent correptionem veniali non cadere sub præceptum, loquuntur de illis, ex quibus non timetur lapsus in mortale: aliàs enim posset esse obligatio gravis pro gravitate pecculi.

75. *Cur Christus solum meminisset peccati à fratre commissi contra ipsum corripientem.*

Sed difficultas moveri potest ex verbis Christi *Matth. 18.* mentionem facientis solum peccati, quod frater in te commiserit, quia nimirum te aliquà injurià, sive ex errore, sive ex fragilitate, sive ex alicuius affectu fecerit. Respondetur tamen hoc à paritate rationis ad quodlibet peccatum etiam commissum in alios, ipsumque Deum esse extendendum. Christus enim illic maxime frænum injicere voluit, ubi major vindictæ acerbitas & animi præcipitatio esse solet, & certior peccati notitia, ac efficacior charitas, læsi videlicet ad eum qui læsit. Quare dum remotiora Christus præcipit, censetur etiam viciniora voluisse includere. Deinde dum nobis videtur Deus offenditur, etiam suo modo contra nos, qui filii Dei sumus, peccatum committitur. Unde *Augustinus supra* censet peccari in te, quando te conscio & teste peccatur, & *simul* (inquit) *audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes sua iniquitatis effecit.*

76. *An correctio respiciat peccata præterita, an etiam futura.*

Petes I. An correctio respiciat propriè peccata præterita, an verò futura? Resp. Si vim vocis & phrasim Scripturæ spectemus, respicit propriè peccata præterita, in quibus proximus nostrâ correptione corrigendus seu emendandus est: correctio enim seu emendatio præsupponit culpam. Unde *Matth. 18.* Christus dixit: *Si peccaverit &c. corripe.* Manet nihilominus obligatio ejusdem rationis impediendi peccatum proximi imminens per monitionem (quam appellare si velis correptionem, per me licet) aut simile medium. Potestque in correptione propriè dicta considerari concurrere non solum peccatum præteritum emendandum, sed etiam futurum cavendum. Immo potissima obligatio, in correptione consideranda, est de procuranda proximi emendatione, ob periculum recidivi, aut perseverantiæ in malo statu usque ad mortem, vel ultra tempus, ante quod currit obligatio poenitentiam non differendi; quæ proinde obligatio non impleta causaret novum peccatum.

77.

Petes II. An sit obligatio corripienti

peccantes ex ignorantia? Supple invincibili: si enim vincibilis semper graviter culpabilis sit, non est ratio dubitandi, quin sit obligatio. Resp. Aff. quando speratur fructus, nec timeatur majus incommodum, præsertim in materia juris divini & naturalis. Ratio est: quia id videtur exigere reverentia legis: & quia ignorantia, juris præsertim divini & naturalis, est grave malum, quod quisque prudens merito vellet à se averti: ipsaque peccata materialia sunt objectivè mala, & si sint præsertim contra legem naturæ, multum inhonestant naturam rationalem: quæ insuper possent sæpè scandalum aliis generare, & postquam inolevit prava consuetudo, difficilius, accedente dein malitiæ notitiâ, omitti. Quando nihilominus prudenter timetur grave incommodum, possunt facilis, & sæpè debent hujusmodi in ignorantia relinqui, v. g. in bona fide valoris matrimonii à parte rei invalidi: cum equidem revera supponantur actus à culpa excusati coram Deo. Unde etiam facilius excusatur quis ob aliquam causam se tenentem ex parte corripientis. Maximè autem in materia juris humani, veluti non cum tanto rigore etiam alios indirectè obligantis. Propter quod multi Doctores gravissimi, censent non esse ex obligatione corripientium, qui ex oblivione aut ignorantia comedit citra scandalum periculum carnes in die veneris, vel omittit sacrum die festo, & *Coninck d. 28. dub. 4. num. 44.* censet parum aut vix me obligari tunc ad corripendum, eò quod comestio ista per se non dedecet naturam humanam, & materialis ista violatio juris humani, & de tur parvi momenti; præsertim si vel levis adsit ratio, cur non corripiam. Immo Nonnulli generalius loquuntur de omni jure positivo. *Bonacina denique d. 3. de Charit. quest. 4. p. 7. num. 10.* id affirmat de qualibet invincibili ignorantia, modò non vergat in grave detrimentum ipsius delinquentis, vel tertii, nec adsit obligatio ex officio. Si enim quis ex officio obligetur, v. g. Episcopus, Parochus &c. Doctores satis consentiunt, adesse quoque obligationem instruendi ignorantes in observantia præceptorum.

Peccantes ex ignorantia, an vel qui corripendi.

QUESTIO VI.

Quæ sunt Conditiones, & quis Ordo Obligatoria Correctionis?

INTER conditiones in Correctione fraterna, ad quam obligamur, servandas, Prima est, ut moraliter certò constet de delicto proximi. Ulterior enim obligatio foret nimium onerosa, odiola, & plurimum

88. Prima conditio requiritur: scilicet certè constet de delicto proximi. Et si constet, non sufficit delictum.

rium malorum causativa, proximo plerumque ægerrime ferente, quod quis ex suspitionibus, rumoribus, aliisque insufficientibus fundamentis ad ejus veluti criminosi correptionem procedat. Quare privatis dissuadenda quoque est cura superflua (quæ est plurimum in communitatibus & familiis exola, ipsis etiam bonis) in inquirendis iis, quæ de proximo circumferuntur: qui illam meritò relinquunt Superioribus ex officio obligatis ad invigilandum subditis suis; juxta Proverb. 24. Ne queras impietatem in domo justis, neque asses requiem ejus. Sed potius quisque privatus invigilet studiosè sibi ipsi, repetendus utique sufficienter in seipso corrigenda. Inter familiares tamen utilis esse potest benigna monitio, & velut conditionata, ex confidentia charitatis procedens (quæ etiam in Superioribus ulvenire possit, prout prudens charitas attentis circumstantiis dicaverit) si probabiliter saltem constet de delicto: supponendo quod confidentia hujusmodi sit futura grata, & si fortè peccatum subsit, fructuosa.

Cura inquisitionis factis nimis in privatis.

79. Secunda conditio, ut mea corruptio proximo supponatur esse necessaria.

Secunda conditio est, ut proximus sine mea monitione probabiliter non credatur tempore debito emendandus. Aliàs enim non indiget meâ correptione, ad quam proinde non obligor. Unde si proximus jam emendatus sit, frustranea esset correptio. Si etiam brevi putetur à se ipso, aut per alterius v. g. confessorii, parochi, superioris &c. monitionem emendandus, cessat obligatio respectu mei; uti necessitas proximi. Quare si adsit alius, qui commodius & acceptabilius possit & velit corripere, maneo ego excusatus. Excusor etiam ab adhibenda hoc tempore, si aliàs opportunius speretur posse adhiberi citra majus seu præponderans proximi detrimentum.

80. Tertia, ut sit spes salutis.

Tertia est, ut adsit spes, saltem probabilis fructus, si non in hoc instanti, saltem in tempore futuro. Unde non tenemur ad correptionem, si fructus non speretur, quin potius major turbatio & contemptus timeatur, si appareat proximum inde fore deteriorem: correptio enim inter privatos, si sit inutilis aut nociva, non obligat, aut etiam sit illicita. Pœnit interdum contingit, quod si detrahens moneatur, detractiones suas confirmat; si alius delinquens corripitur, indignatur tertio, odit, lites suscitatur &c. Quod si sit spes fructus, citra periculum nocuamenti, obligat correptio, utpote probabiliter profutura, certò non nocitura. Sicut medicus tenetur ægro adhibere medicinam, dubiè profuturam, & certò non nocituram. Si utrumque sit dubium, v. g. tam timeatur grave nocuementum, seu sit periculum æqualis vel majoris mali, puta novi peccati gravis, vel obstinationis in

Herincx Sup. Theol. Pars III.

peccato; quæ speretur emendatio, cessat quoque obligatio. Aliàs non curanda est tristitia vel levis ira, comparatione fructus ex correctione sperati.

In discrimine mortis nihilominus, quando aliàs proximus certò est periturus, tamen ex monitione affulget aliqua spes salutis, quatenus videlicet subest aliqua probabilitas vel dubium, num fortè profutura sit mea correptio, etsi quæque sit periculum etiam majus, ne noceat, obligor ad correptionem: tunc enim extrema hoc modo tentanda sunt, cum gravius sit proximum certò æternaliter perire, quam ex sua prava voluntate (quæ timeatur) exponi periculo gravioris damnationis cum aliquali spe salutis. Unde & medici in morbis alioquin desperatis adhibent interdum medicinas periculosas, dubiè profuturas, juxta illud, quod veluti Galeni circumfertur: In morbis desperatis interfico audaciter.

81. Quid agendum in morbis discrimine, si cum dubio spe fructus jungetur majoris deteriorationis periculum.

Ex dictis colligi potest privatos, præsertim juniores, fragilioris sexus, plebeios, frequentissimè seculari à correptione fracterna, sic præsertim, ut non graviter peccent, sive quia non satis certi sunt de delicto, sive quia facilè persuadent sibi, nec sine fundamento, se nil profecturos, aut peccantem sine sua opera opportunè emendandum per se vel per alios, sive ex correptione sibi damnum proportionatum imminere. Qui nihilominus peccatum, quod ipsi tantum norunt, per suam operam emendare non possunt, debent saltem curare, ut emendetur per monitionem aliorum.

82. Qui facilè & frequenter excusentur ab obligatione corripiendi.

Cessat porò obligatio corripiendi, extra necessitatem correptionis extremam (quæ juxta Villalobos numquam vel rarò, juxta Lorca numquam contingit) si non possit fieri sine gravi damno seu periculo vitæ, famæ, vel bonorum fortunæ; eò quod lex Christi seu charitatis non obliget cum adeò gravi difficultate & incommodo; uti relatis Aragon, Valentia, Reginaldo, Bannez, Maldero, Navarro notavit Bonacina de Charitate disp. 3. q. 4. p. 7. num. 11. & alii. Excipiuntur Prelati, seu quibus cura subditorum ex officio imminet, qui etiam cum notabili suo periculo tenentur correptionem adhibere in gravi necessitate: cum ipsi ratione officii sint ad amplius præ privatis obligati: adeoque pro salute spiritali subditorum tenentur etiam in gravi necessitate vitam corporalem exponere.

83. Qualiter excuset periculum gravis damni.

Modus iste est in correptione servandus, qui magis profit bono & salutem proximi, & quam minimè fieri potest, noceat famæ aut alteri bono ejusdem. Quod apertè dicitur ratio. Simili modo medicus curat ægrotum medicis efficacioribus, & minus nocivis aut periculosis. Quare debet correptio

84. Correptio sit charitativa.

tio esse charitativa: Debemus enim amando correre, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi juxta Augustinum Serm. 16. de Verbis Domini. Unde ut bona & utilis sit correptio, corripiendus est proximus in misericordia, non ex amaritudine, aut vindictæ cupidine.

85. Opportuna. Deinde debet esse opportuna, seu conditionibus præallegatis vestita. Unde Augustinus 1. de Civit. 6.9. Si propterea (inquit) quisq; objurgandis & corripiendis male agentibus parcat, quia opportunius tempus inquirat: vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudendos impediant alios infirmos, & premant atque avertant à fide; non videtur esse cupiditatis occasio.

86. Et in peccatis secretis secreta. Denique in peccatis secretis debet esse secreta, juxta illud Matth. 18. Corripe eum inter te & ipsum solum. Nimirum (ut rectè Augustinus Serm. 16. de verbis Domini intendens correptioni, & parcens pudori. Forid enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum; & quoniam vis facere correctiorem, facis pejorem. Similiter Hieronymus in d. lo. cum scribens ait: Corripiendus est frater scorsim, ne si semel pudorem ac verecundiam amisserit, remaneat in peccato. Quare Augustinus supra explicans illud 1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant, ait: Aliquando ergo scias corripiendum fratrem inter te & ipsum solum: aliquando corripiendum fratrem coram omnibus. Nempe quia (ut subdit) ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa verò corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Aliàs enim (ut præmittit) Si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor, atque adeo iniquus fama violator.

87. In publicis publicis. Unde è contrà ex mente Apostoli & Augustini peccatores publicè publicè arguendi sunt, utpote carentes eatenus famâ, & cum quibus si dissimulatur quoad publicas correptiones, communitas offenditur ac scandalizatur. Quamvis interdum dicit prudentia parcendum esse publicè peccantis (cujus peccatum non cedit in detrimentum aliorum) confusioni, si constet efficacius esse emendandum ex hac remissione, & pacata ac benigna monitione, qui aliàs fortè magis obduraretur; prout frequenter expedit etiam punitionis temperare rigorem, attentâ indole peccantium & aliis circumstantiis.

88. Cautela quædam. Restat nunc declarandus ordo correptionis in Evangelio præscriptus Matth. 18. qui est, ut in peccatis occultis, de quibus solum ibi agitur, præsertim cedentibus in solius peccantis præjudicium, primò corripiatur peccans inter te & ipsum solum, seu inter quatuor (ut dicitur) oculos. Deinde si non sequatur aut speretur ex mo-

ditiones hujusmodi fructus, adhibeantur (si dein coram spes sit profuturum, & non obfuturum) unus vel duo testes seu amici prudentes. Qui modus est paulò severior, & si amici supponantur delicti non concii (prout juxta receptam DD. sententiam supponi possunt, etsi nonnulli oppositum contendunt, Christum scilicet agere solum de adhibendis testibus rei concii) cum aliquali detrimento famæ, sed postponendo ipsi bono animæ & facile supplendo existimatione bona ex penitentia de peccato corrigenda.

89. Quoriam hi adhibendi. Testes porrò seu amici adhibentur, partim ut ipsi conformiter judicent fratrem verè peccasse, si fortè peccatum exulare vel: partim ut Ecclesiæ possit patere protervia correpti, si in malo persistat, & adimpletio officii charitatis ex parte corripiantis, si fortè posthabitâ famâ deinceps cogatur dicere Ecclesiæ: partim & præcipuè, ut testes unâ hortentur ad resipiscentiam, plurimumque velut arbitrorum, qui rei utilius peragenda causâ adhibentur, respectu & monitis, indeque concepto pudore, efficacius convertatur ad cor.

90. Post hæc restat gravior adhuc corripiendi modus, dicendo scilicet Ecclesiæ, Pesti hæc id est, habentibus ejus curam, qui sunt Prælati, præditi clavium potestate. Si autem Pastores Ecclesiæ monentes, ad stipulante populo, non audierit, restat (si consulta videbitur) ejectio ex Ecclesia, per excommunicationem scilicet, eò nihilominus sine adhibendam, ut infirmus frater sanetur (est enim pena medicinalis) aut certe oves alias suo contagio non inficiat.

91. Christum spem delectat sui natura. Non tamen fertur novum præceptum, juxta communem Doctorum sententiam, sed apertius declaratur jus naturæ, quo quisque tenetur prospicere salutem proximi modo minus famæ & honori nocivo. Qualitè prospicitur per ordinem à Christo præscriptum: si enim absque testibus possit corrigi frater, ad quid hi, delicto eisdem pro palato, adhiberentur & si unus testis sufficeret, ad quid adderentur duo? si & testibus adductis emendaretur, ad quid denuntiaretur frater Ecclesiæ?

92. An vel coram Joseph ac fratres suo monitione prævia. Nec refert, quòd Joseph Gen. 37. accusaverit fratres suos, filios scilicet Balæ & Zelphæ, quibuscum morabatur, apud patrem de crimine pessimo, non præmissa monitione. Nam (ut tacitam non constare de non præmissa monitione, quantumvis in Scriptura non exprimitur) Joseph sciens exolum se esse fratribus, prudenter judicabat monitionem suam nil apud eos profuturam; ut notat Abulensis in c. 18. Matth. 9. 27.

93. Invenio à Do- Itaque quotiescumque prudenter propter fratris aut communitatis bonum, ordo à Do- Christi qui

hic spectan-
da & for-
vanda.

à Domino praescriptus negligentia, nullum inde contrahitur peccatum: quia in hoc Domini praecipit, sicut & in aliis plerisque, magis attendenda est Domini intentio, quam verba: intentio autem eius hoc loco est, studiosè tentandum omnibus modis, ut vel frater peccans resipiscat, vel si id impetrari non potest, alii à contagio ipsius praeserventur. Quod si vel pro altero, vel pro utroque horum, aliquid secus fieri conveniat, quam à Domino praescriptum est, id ex mente Domini fieri debet; qui quo nobis conservanda proposuit, conscientiam fratris, & famam: si utrumque conservari potest, optimè agetur, si non, semper conscientia famae est praeservanda. Ita compungunt Doctores.

Notat autem Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 4. sect. 2. g. 1. append. de Corrupt. Fraternali Reg. 1. quòd dum omiſſa ſecreta monitione deſertur caula à ſubdito ad ſuperiorem tamquã patrem, hic debeat primò adhibere privatam monitionem, veluti ſuccedens in locum & officium fratris, prout etiam primo loco facere deberet, ſi ipſe Superior ſcus delictum fratris noviſſet. Quare etiam nequit exinde non convictum juridicè condemnare, poteſt tamen reò invigilare, & perſeverantiam in malo juridicè detegere ac punire. An autem poſſit peccatum priùs deſerri ſuperiori, non quidem ut iudici, ſed ut amico & patri à quo ſecretò moneatur, quam teſtibus ſeu amicis coram quibus moneatur, variant Doctores, pendentque à variis circumſtantiis tum perſonae peccantis, tum ſuperioris, ratione quarum poteſt nunc hoc, nunc illud eſſe magis conſonum charitati, ut pròinde non poſſit ſtatui una regula pro omnibus caſibus, ſed eligendum ſit, quod magis expedire videbitur charitati & bono corripiendi.

94.
Quid agendum ſuperiori, dum omiſſa monitione ſecus à peccatum denuntiatur ei ut patri.

An vel quòdo ad eum deſerri poſſit, loco adhibitionis teſtium.

95.
Qui in peccato perniciōſi omiſſa omniſſa ordo praescriptus.

libus) per illam nequeat malum ejuſque periculum certò & ſecurè averti: bonum enim commune & innocentis ceteris paribus praevalet fama nocere cupientis. Aliàs ſi certiffimus moraliter eſſem hæreticum v.g. privatà monitione emendandum, cenſet Wiggers quaſt. 33. art. 7. non habere locum legem denuntiandi illum Inquiſitoribus, quaſi hæc exceptio ex natura rei & lege charitatis intit, etſi non expreſſa, veluti rara.

Unde reprehendit Marchant ſup. poſt Reg. 4. in Corollario velatam, immo abominandam charitatem, quã quis peccata proximi in perniciem patriæ, vel reipublicæ, ſcandalum ſtatùs Eccleſiaſtici vel Religionis vergentia putat poſſe perſidã fidelitate taceri, ne peccantes damnum aliquod corporale aut famae incurrant: certum enim eſt poſſe & debere denuntiari potenti impedire, ſi aliter malum nequeat certò praeveneri, ac ne ulterius ſerpat, impediri.

Hic accedit caſus quo quis rationabili ex caula ceſſit juri ad famam, cujus dominus eſt, contentus, ut ſine praevia monitione fiat denuntiatio Superiori tamquam patri, ad majorem cautelam ſpiritualem praesertim, & animi humiliatorem. Quod quidem poteſt laudabiliter aliquando fieri. Immo id generaliter fieri à Religioſis Societatis Jeſu contendit Comnck d. 28. dub. 12. meritò videndus, & reliqui Scriptores Societatis: quamvis poſt Lorca non conſentiat Poncius, qui contendit 3. diſt. 30. in Comment. num. 72. & ſeq. talem regulam in Conſtitutionibus Societatis non extare. Praedicta verò juris ceſſio, etſi indefinitè ſeu univerſaliter facta, juxta Caſtro Palao d. 3. p. 9. num. 3. fieri intelligenda eſt ſervato ſine praecipuo fraternae correctionis, qui eſt correctio & emendatio delicti, quem ſinem ſi certum ſit per Praelatum non eſſe obtinendum ita bene ac per inferiorem, vel de illo dubium eſt (quòd juxta ipſum raro contingere poteſt, praesertim in Societate) nequaquam tunc cenſetur quis cedere juri conservandae famae. Ita ille.

Vicioſa oc-
culatio
charitate
palliat re-
darguitur.

96.
An exceſſus
rationabilis
ceſſio juris
ad famam
ab ordine
corruptionis.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

De Vitis Oppositis Charitati.

QUESTIO I.

De Odio.



DIUM eſt quaedam alienatio ſeu averſio voluntatis ab aliquo, quod apprehenditur ut malum. Soletque dividi in odium abominationis, & inimicitiae:

Herinc Sum. Theol. Pars III.

etſi non omnes conveniant in modo explicandi; in quo ſanè non alia, quam de nomine, poteſt eſſe controverſia. Odium itaque abominationis frequenter hoc ſimiliter modo explicatur, ut ſit averſio ab aliqua re ſeu perſona, tamquam nobis malã aut contrariã & moleſtã; eſt oppoſitum amori concupiſcentiae. Odium inimicitiae (quod amori benevolentiae oppoſitur) explicari ſolet per deſiderium, quo deſideramus